



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De expensis faciendis pro funere Prælati defuncti, & electione
Successoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

conceditur, in relato *c. quia propter*. Ita tamen ut singulis in solidum committat potestatem suo loco eligendi, ut scilicet unus sine altero eligere possit, & uno impedito, aut recusante, alter vices suppleat, & inter hos detur locus preventionis, nisi ex mandato procuratorio ille admittendus videatur, qui priore loco nominatus est: qui duo quidem vota habebit, unum ex proprio nomine, tanquam Capitularis illius Ecclesie; alterum nomine procuratorio, illius scilicet nomine, cujus procuratorem agit; in casu tamen, quo cum mandato generali tantum constitutus est, non potest in scrutinio alium suo nomine, & alium illius nomine, cujus procuratorem agit, nominare, prout expressè statuit Pontifex in *c. si quis 46. h. t. in 6.* nisi de speciali Persona eligenda speciale mandatum habeat: sicut enim in casu generalis tantum mandati constituti Procuratoris industria relinquatur, quæ nam Persona digna videatur, ut eligatur, non possit autem idem ipse jam hunc, jam alterum digniorem altero iudicare, consequenter in casu talis generalis mandati ad eligendum, non potest alium suo nomine, alium procuratorio nomine nominare, sicuti potest in casu specialis mandati ad specialem personam procuratorio nomine nominandam.

Resp. 2. Casu quo nullus ex gremio in se suscipere velit procuratoris officium, in ordine ad eligendum, absentis nomine, neque Capitulum velit extraneum admittere, non potest absens Capitularis per litteras suum suffragium, & votum submittere, si accuratè servari debeat in tali electione forma scrutinij in relato *c.*

quia propter præscripti, ut patet ex cit. c. si quis. cum enim juxta *c. Quia propter*, non ante scrutinium, sed in hoc secreto, & sigillatim suffragia ferenda sint, consequenter nullam est suffragium, quod ante scrutinium scriptum est; nisi per conspirationem, & fraudem nullus procuratoris in se munus suscipere velit, quo in casu impeditus Capitularis, qui legitime procuratorem constituere vult, potest de injuriâ, & contempnu agere, ac petere rescissionem electionis argu. *c. cum dilectus, 32. h. t.*

§. V.

De expensis faciendis pro funere Prælati defuncti, & Electione Successoris.

PRO exequijs & funere defuncti ordinarij, & moderati sumptus, pro famulis etiam, & officialibus defuncti &c. debent præstari ex redditibus Ecclesie vacantis, seu ad mensam Episcopalem spectantibus; & si hi non sufficient, debet etiam Capitulum ex redditibus suæ mensæ, subsidium afferre, cum non tantum Ecclesie, sed ipsius etiam Capituli intersit, honorifica Prælati sepultura. Expensas autem in electionem successoris necessariò faciendas, Ecclesia vacans omnes subministrare debet, non tantum, quæ fieri debent in nuntijs mittendis ad convocandos absentes Capitulares, in Notarios, Jurisperitos necessarios &c. sed illa etiam, quæ fieri debent ad petendam confirmationem &c. *s. ut præterito 45. h. t.* Cum hæc omnia fiant principaliter in bonum Ecclesie. Quod si verò electio oppugnetur, quis

expensas suggerere debeat opponentibus, aut prosequentibus eam, ex diversis juribus desumi debet: si enim major pars Capitularium, electionem factam contra minorem partem opponentem prosequatur, expensas subministrare debent prosequenti parti Prælatuæ bona, dummodò bonâ fide agat, (quia habet præsumptionem pro se) sive vincat, sive succumbat: minor verò pars, si prosequatur electionem contra majorem partem, aut opponat se contra electionem à majore parte factam, expensas ad hanc litem necessarias ipsa facere debet, & si non vincat, repetere non potest ab Ecclesia, cum non præsumatur, in utilitatem Ecclesiæ egisse: quod longè verius est, si unus tantum contra reliquos in electione concordet agat, & succumbat, vel si ipse electus contra majorem Capituli partem se opponat, sui electionem defensurus, & succumbat, cum in talibus casibus potius præsumatur suam negotium tales agere, quàm negotium Ecclesiæ.

§. VI.

De Administratore constituto, sede vacante, ejusque potestate, & ad quem spectent fructus, seu redditus Prælatuæ vacantis?

Resp. 1. De jure communi quidem & ordinario, vacante sede, ad Capitulum spectat administratio. *c. hinc que 11. & c. cum olim 14. de majorit. & obed. sæpè tamen alius à Capitulo constitui solet, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus administrator, cui tamen, quamvis cum plenâ & liberâ potestate constitutus sit, non competit collatio*

beneficiorum, ad solum Episcopum pertinens, nisi à Pontifice ille datus sit *c. is cui 42. h. t. in 6. juncta Gloss. V. soli.* aut alienatio bonorum immobilium Ecclesiæ, quæ, nec adhibitâ etiam solemnitate, administratori à Papa etiam constituto, in *relat. c. is cui.* conceditur.

Resp. 2. De redditibus sive fructibus Ecclesiæ vacantis nihil sibi usurpare, aut occupare posse Capitulares, sub pœnâ suspensionis ab officio, & quibuscunque beneficijs, usque ad plenam omnium occupatorum restitutionem c. quia sæpè 40. h. t. in 6. cum enim bona talia ad Prælatuam pertineant, & Capitulum illa debeat gratis administrare, sicuti tutor pupilli bona, consequenter, vel in utilitatem Ecclesiæ expendenda sunt, vel futuro successori per administratorem reservari debent; quam constitutionem extendit *Clement. statut. 7. h. t.* ad omne emolumentum proveniens ex jurisdictione, & ex sigillo curiæ Episcopalis, aut quovis alio titulo (ut ne scilicet Capitulares ansam arripiant differendi electionem) nisi certis dignitatibus vacante sede, jurisdictione ex consuetudine, privilegio, vel alio jure speciali competat, ut emolumenta etiam inde provenientia participare possint. Imò Laici, qui Regalia, Jus advocatiæ, vel custodiæ in bonis Ecclesiasticis sibi de novo vendicant, & ex hoc titulo bona vacantis Ecclesiæ usurpare præsumunt, excommunicantur in *c. generali 13. h. t. in 6.* uti & Clerici, qui, id ut fiat, positivè procurant; quam tamen excommunicationem non incurunt illi, qui sub titulo quidem Regaliorum, Custodiæ, vel Advocatiæ, ex fundatione